

1439 Venetisque per noctem cibo, luminibus, & adhortatione adjutis, ubi primum illuxit, in publicum se proripuit. Sforciæ & Marcello circumfusi cives victoriam gratulari, suæ urbis liberatores parentesque cum lachrymis salutare: fortunas ad hæc publicas & privatas eisdem commendare, orareque ne cui civium esset fraudi, quod urbs per eos dies fuisset ab hoste occupata: culpam omnino a civitate abesse. Quin etiam arma ad primos captæ urbis clamores a se capta prædicare, & in publicum procursum: itumque populariter in hostem per noctem erumpere parantem: verum cedentibus magistratibus, civibus quoque, ne aliquam majorem cladem adirent, cedendum fuisse. Nuper vero conspectis Venetis signis, non modo libenter illa excepta, sed ut quam primum invisus hostis ex urbe ejiceretur, a suorum multis arma capta, ac circa pontes Venetorum victoriam adjutam. Laudata est publica Veronensium fides, ac post multas congratulationes, & lachrymas præ nimia, ut fit, læticia obortas, jussi sunt bono animo esse, ac nullam publicam aut privatam cladem, præterquam eorum qui in culpa essent (si modo quisquam, quod non crederent, publici illius periculi auctor fuisset) metuendam: quin consolando, ac prope æque dolendo Marcellus, Sforcia, & alii mæstos cives, & in tanta rerum novitate attonitos, in spem melioris fortunæ erigere. Ferunt Magium pene præcipitem a Ciarpellione cum omnibus fortunis, ad quas diripiendas anhelabat, datum: tractumque violenter, tanquam majestatis reum, ad Sforciam. Verum illum ita constanter suam, suorumque civium causam dixisse, ut non modo quæ objecta essent diluerit, sed culpam etiam a se & aliis longe abesse monstraverit. Quare summo omnium consensu absolutus, & tanquam de Veneto imperio bene meritus magnopere laudatus.

Dederat ex Clusino saltu literas ad Senatum Sforcia de Veronæ casu, quibus significabat, eo se animo in hostem ire, ut aut paucissimis diebus nobilissimam urbem Veneto Imperio recuperaret, aut se cum fratribus & reliquo

exer-